

cales facilius inveniant Emptorem. Debet tamen Fiscus pretium pro rata partis ad Socium pertinentis, ei refundere. (61. L. 2, de Commun. rer. alienat. Voet. in Commentar. ad Pandect. lib. 18, tit. 1, n. 14. Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 6, tit. 4, n. 23. Num Christiani Mercatores merces ad infideles licite transferre possint eas ipsis vendendi ergo? (62. Affirmant de tempore pacis, nequaquam vero tempore belli. Tren-tacinq. variar. resolut. Lib. 3, tit. de Verb. obligation. Resolut. 3, num. 1. Molin., de Justit. et Jur. tomo 2, tractat. 2, disputat. 343, num. 9.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

In foro frequens excitari potest quæstio circa (63. tempus ad quod rei acceptæ æstimatio referri debeat, in qua hæret unusquisque Judex vel Patronus vel Jurisconsultus, ubi id quæritur in condemnatione faciendâ super rei petitæ æstimatione. Cujac. tract. ad African. 8, in lib. 37, ff. mandati in fin. Puta; quis accepit frumentum mense Maii cum obligatione illud restituendi mense Novembris, vel præstandæ æstimationis. Advento tempore restitutionis, vel præstandæ æstimationis Debitor utrumque neglexit, quæritur utrum is optionem amiserit, et casu quo amissa sit, ad quod tempus rei acceptæ æstimatio referri debeat. Ad primum respondetur, amissam fuisse optionem per text. in l. 57, ff. de solutionibus ibique Bruneman. Quod ad secundum pertinet, inspiciendâ (64. primo sunt pacta contractui apposita, quæ omnino servanda sunt, quibus deficientibus inspiciendum erit tempus moræ, si qua litis contestationem præcesserit, et eo tempore res pluris fuerit, sive mora re ipsa contracta sit per lapsum diei in obligatione positi, sive per expressam interpellationem opportuno loco et tempore moræ res minoris fuerit, crescet in singula momenta æstimatio ab eo die, quo mora contracta est in diem usque condemnationis. Hanc mirifice quæstionem expendit Vin. select. jur. quæst. lib. 1, cap. 39, per tot. et Rot., in Allatrina Pecuniaria, 2 Junii 1760, cor. Herreros. (65. Statuit debitorem in majori pretio condemnandum esse, quamvis momento temporis tantum illud in commercio observatum fuerit ex eo, quod præsumatur creditor speciei ipso adamussim momento speciem creditam vendidisse, quo carius vendebatur.

ARTICULUS IV.

Quod ea quæ concernunt commodum, periculum, et retractum rei venditæ.

(1. Commodum, et fructus rei venditæ post traditionem pertinent ad Emptorem. Per traditionem enim emptor evadit Dominus rei emptæ; l. Traditionibus 20. C. de pactis, etiamsi pretium nondum sit solutum, modo cautio fidejussoria, aut pignoratitia ab Emptore præstita fuerit, aut Venditor fidem habeat emptori, rem eidem credito vendendo, § 41. Institut. de rerum divis. Res autem, Domino suo fructificat, sicuti ipsi perit, l.

Lectos 12, l. Quod si neque 14, ff. de periculo, et commodo rei venditæ. Est communis, et certa. (2. Fructus rei venditæ adhuc pendentes tempore contractus venditionis etiam ante traditionem pertinent ad Emptorem, sive sint maturi, sive immaturi; l. Julianus 13, § 10 et 18, de action. empt. l. Fructus 13, et lib. Post perfectam 16. Cod. de action. empti, l. fin. § Fructus, ff. quæ in fraudem Creditoris. Et ratio clara est, quia fructus pendentes censentur pars fundi, vel rei fructifera; l. Fructus 44, de rei vindicatione, adeoque uno indivisibili pretio simul cum fundo, seu re fructifera venduntur, nisi aliter sit in contractu conventum; quia in tali casu standum esset conventioni ex Regul. 85. Juris in 6, ibi: « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; » Est communis, ac certa.

(3. Immo nedom fructus pendentes, seu extantes tempore contractus Venditionis, sed etiam fructus nati, et producti post celebratum, et absolutum contractum, pertinent jure Emptionis ad Emptorem; etiamsi res nondum tradita sit; nec cautio fidejussoria, aut pignoratitia præstita, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit; sic Silvester, verb. Usura 2, q. 11. Petrus Navarr., lib. 4, cap. 2, num. 148. Palao, de justit. commut. disp. 5, punct. 26, num. 4. Lessius, lib. 2, cap. 21, dub. 13, num. 109. Rosella, verb. Usura, num. 47. Armilla, eodem verb. num. 15. Layman, lib. 3, tract. 4, cap. 17, n. 18. Lopez, de contractibus, c. 36, ad 1. Reiffenstuel, lib. 3. Decret. tit. 17, num. 232. Sporer, l. c. n. 94. S. Antoninus, Gabriel, et alii cum communiori Theologorum. Et ratio est, quia æquissimum est, ut ad eundem spectet commodum fructus, et accessio rei, ad quem ejusdem rei damnum, et periculum spectat: textu expresso in § 3. Institut. de empt. et vendition. ibi: « Si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad Emptoris commodum pertinet; nam et commodum ejus esse debet, cujus periculum est; et l. Id quod 7, ff. de pericul. et commodo rei venditæ ibi: Si Totus ager post Emptionem flumine occupatus esset periculum esset Emptoris, sic igitur, et commodum ejus esse debet; et clarissime in l. Secundum 10, ff. de diversis regulis Juris antiqui, ibi: « Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. » Atqui periculum totum, et damnum rei in specie venditæ, etiam ante traditionem, et pretium solutum ad Emptorem pertinet, adeo ut, si absque venditoris culpa pereat, vel deterior fiat, nihilominus integrum pretium Emptor solvere cogatur; textu expresso in § 3. Institut. de Empt. et Vendit., ibi: « Cum Emptio, Venditio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet. Itaque si ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint... Emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere: quiquid enim sine dolo et culpa venditoris accidit, in eo venditor

securus est. » Ergo commoda quoque et fructus rei venditæ etiam ante traditionem, et pretii solutionem ad eundem emptorem pertinere debent.

(4. Contraria tamen sententia, quod scilicet ad venditorem, et non Emptorem pertineant fructus provenientes ex re vendita post celebratum, et absolutum contractum, casu, quo res nondum sit tradita, vel si tradita, pretium tamen nondum sit solutum, nec cautio præstita, nec fides de pretio habita, nec dilatio ad solvendum expresse concessa sit, defenditur communiter a Legistis, et etiam a variis Theologis, inter quos Navarr. Covarruv. Angelus, Binsfeldius, et alii cum Molina tomo 2, disp. 368. Et ratio non spernenda ipsorum est, quia inter contrahentes debet esse æqualitas, neque unus eorum tenetur implere contractum, nisi et alter vicissim impleat, juxta l. Bona fides 50, ff. de action. empt. atqui in nostro casu Emptor contractum nondum implevit solutione pretii, transferendo in venditorem Dominium usumfructum, et commodum pecunia, ergo neque venditor tenetur transferre in Emptorem Dominium, usumfructum et commodum rei venditæ, sed eousque sibi retinere potest, donec Emptor sibi pretium solvat. Venditor enim manet dominus rei venditæ, donec tradatur, et simul pretium solvatur, vel cautio præstetur: vel saltem fides ejusdem habeatur, § 41. Institut. de rer. divis. ibi: « Venditæ vero res, et traditæ, non aliter Emptori acquiruntur, quam si venditori pretium solverit, vel alio modo eis satisfecerit, vel ex promisso re, aut pignore dato... sed si is, qui vendidit, fidem Emptoris secutus fuerit, dicendum est statim rem Emptoris fieri. » Et pro hac sententia adducunt plures leges, ut l. Curabit 5. Cod. de actionibus

(1) A priori tamen sententia recedendum non est, si periculum rei venditæ spectat ad emptorem. Non video cur etiam ejusdem commodum ad ipsum transire non debeat. Venditio perficitur re certa, certo pretio, et mutuo consensu, quæ tria ubi concurrunt, illico perfecta remanet Venditio. Nec in jure cautum reperitur, venditionem suspensam remanere donec solvatur pretium, vel res tradatur. Pretii solutio, et rei traditio non perfectionem contractus, sed ejusdem tantum consummationem, et adimpletionem respicit. Heinec. exercit. 54, § 5, edit. Neapol. tom. 6, ideoque dum loquitur Jurisconsultus de perfecta venditione intelligendum est de intervenitu certæ rei, certis pretiis, et mutui consensus. Porro si venditor non tradit rem, Emptori competit actio empti pro traditione consequenda, vel præstatione illius, quod interest, rem traditam non esse l. 11, ff. de action. empt. et vendit. Si vero Emptor conventum pretium non solvat, Venditori datur actio, ut pretium exsolvatur, et si intercesserit mora emptoris, usura quoque præstetur, l. 15, § 20, ff. de action. empt. et vendit. l. 5 et l. 15. Cod. eod. Sed traditio vel pretii solutione non secuta ob rationes supra adductas, nequeunt istæ actiones cum effectu intentari quia exceptio vel non soluti pretii, vel non traditæ rei rejici possunt: quo casu idem est actionem non habere, et actionem exceptione infirmare juxta responsum Pauli in l. 15, l. 112, l. 145, § 1, ff. de divers. reg. jur. Perfecta igitur remanet venditio etiam non secuta traditione, sed tantum pro eadem

Empt. l. Julianus 13, § 8, ff. de actionib. Empt. l. Qui pendente 25, ff. eod. quas omnes tamen clare solvit Reiffenstuel loc. cit. a. n. 236, aliis pluribus jam pro nostra sententia adductis, a n. 232 (1).

(5. Notanter autem in conclusione nostra posita sub num. 4, fuit dictum, Nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit, quia si circa perceptione fructuum provenienteum ex re vendita fuerit facta aliqua specialis conventio inter Emptorem et Venditorem, erit omnino observanda arg. leg. Si in venditione 10, ff. De pericul. et commodo rei venditæ, leg. Qui fundum 40, § 18, ff. de contrah. Empt. l. Julianus 13, § 18, de actionibus Empt. et § Cum autem. Institut. de Emption. et Vendition. et ratio est clara, quia ex Reg. 85. Juris in 6. « Contractus ex conventionem Legem accipere dignoscuntur. » (6. Hinc licitus est contractus, cum fundus fructuosus, ut prædium, domus, hortus, aut aliud hujusmodi emitur eo pacto; ut post tot annos dumtaxat Emptor pretium, de quo conventum est, solvere teneatur venditori, et interim venditor usuras summæ capitalis percipiat, donec ipsa soluta sit; leg. Julianus 13, § Ex venditio ff. de action. Empti et Venditi, ibi: « Ex venditio actio venditori competit ad ea consequenda, quæ ab Emptore præstari oportet: veniunt autem in hoc judicio infrascripta; in primis pretium quanti res venit, item usuræ pretii post diem traditionis, nam cum re Emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere leg. 11. Cod. de usuris, ibi: Quod hujusmodi usuræ, et non quasi usuræ, sed quasi interesse putantur. Et sic communis Doctorum cum Glossa in cap. Conquestæ, Extravagant. de usuris, ibi: Usuræ possunt etiam peti, secundum Canones, ut cum vendo tibi prædium, et

Emptori competit actio empti; et pro pretio Venditori datur actio venditi. Jam vero ubi venditio perfecta est, fructus acquiruntur emptori, ideo etiam non soluto pretio ad eundem spectabunt, qui solum poterit pro fructibus compensatis conveniri: ita sentiunt Zoes. in Pandect. l. 19, t. 1, n. 16. Voet. ib. n. 9. Cujac. in leg. Jul. § possessionem. Edit. Neapoli. tom. 7, coll. 776, sub tit. E. Bruneman, in eand. leg. n. 50, et seq. et in leg. Curabit. Cod. de Act. Empt. et vend. Coruin. in Cod. lib. 4, tit. 54, p. 244, fin. Profecto in citata leg. 15. Cod. de action. empt. et vend. habetur: « Fructus post perfectum jure contractum emptoris spectare personam convenit, ad quem et functionum gravamen pertinet. Venditor quoque pretium tantum ac si mora interces sisse probetur usuras officio judicis exigere potest. » In hac lege statuitur primo, ut fructus post rite perfectum contractum ad Emptorem pertinere; secundo jus conceditur venditori repetendi pretium, et si emptor post traditam rem differat illud solvere, idem ad usuras condemnatur. Sed si ob non solutum pretium, et non traditam rem fructus fuissent debiti Venditori, jam frustra eidem ab hac lege concessa fuisset facultas consequendi arbitrio judicis usuras. Sed super his consule præter allegatos supra, Covarruv. variar. resolut. lib. 4, cap. 15. Strav. ad Pandect. lib. 19, tit. 1, num. 400, et plur. seq. qui alias ad hujus opinionis confirmationem adducunt rationes. Vin. partit. jur. lib. 2, cap. 15. (Edit. Barbiell.)

trado, et percipis fructus, nec solvis mihi pretium ad terminum (1).

(7. Sic etiam licitus est contractus, quando venditor per specialem conventionem tantum sibi reservat de fructibus rei venditæ, quantum ex dilatione solutionis prudenter sibi timet imminere damni emergentis, vel lucri cessantis; utpote quia venditor pecunias illas negotiationi exposuisset, aut iis quomodo lucratus fuisset, si solutio statim facta fuisset; *Communis, et certa*: teste Cardin. de Lugo tom. 2, disp. 23, n. 140. (8. Postquam autem venditor jam transtulit Dominium in Emptorem, nullumque apparet periculum lucri cessantis, vel damni emergentis, non potest ob solam dilatam solutionem pretii, sibi reservare fructus rei venditæ. Ob solam enim talem dilationem solutionis sibi fructus reservare vel aliquid recipere est usurarium, textu expresso in cap. *Consuluit*, 10, de usuris et Concil. Mediolanem. 1, part. 2, tit. 68, et Concil. Burdigalens. tit. de usuris (2). (9. Item licitus est contractus quando venditor ita convenit cum Emptore, ut Dominium et periculum rei venditæ ad ipsum pertineat ante pretii solutionem, et perinde ad se pertineant fructus interim ex ipsa provenientes. Hoc enim casu venditio censetur celebrata non absolute, sed sub conditione, ut non antea rata sit, quam pretium constitutum solvatur; nam tunc quia ad venditorem spectat periculum talis rei, ad ipsum quoque spectare debet commodum, et jus fructus ex ea provenientes recipiendi, donec pretium sit solutum, « nam et commodum ejus esse debet, ejus periculum est, » § 3. Institut. de Emption. et venditione.

(10. Periculum rei venditæ post traditionem pertinet statim ad Emptorem; leg. *Lectos*, 12. leg. *Quod si neque* 14, ff. de periculo, et commod. rei venditæ. *Communis ac certa*. (11. Imo periculum rei venditæ pertinet ad Emptorem etiam ante traditionem, si vendatur res certa, et determinata in individuo, ut hæc Domus, hic ager, hic equus; tunc enim non obstante interitu, vel deterioratione rei, debet Emptor solvere totum pretium, si nondum solvit; et si jam solvit, nihil potest repetere; § *Cum autem* 3. Institut. de Emption. et Vendition. ibi: « Cum Emptio, Venditio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad Emptorem pertinet. Itaque si ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fue-

(1) Vide Castrens. in leg. *usuras* 1. C. de usuris Roderic. de annuo reddit. lib. 3, quæst. 7, num. 93. Cagnol. in l. *Curabit*. num. 2, pag. 247 et 248, num. 36. Lupus de usur. in eand. leg. comment. 1, § 7, n. 160. Barbos. in eand. leg. num. 3, 4 et 7. Donnell. comment. ad tit. ff. de usur. edit. Lucen. tom. 10, coll. 1583, num. 11. Quæ opinio non modo locum habet in contractu emptionis et venditionis, sed in quolibet alio, in quo res ructifera tradatur ut in cessione, legitima, Dote, Societate et aliis, in quibus pecunia loco frugiferarum rerum succedit. Cardinal. de Luc. de Usur. discurs. 23, num. 1. Bossius de Dote cap. 6, § 2, num. 36, Constant. vot. 31, num. 8. Rot. cor. Kaunitz. decis. 130, num. 4 et 5,

rint.... Emptoris damnum, est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim sine dolo et culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sic communis Doctorum. » (12. Limitatur tamen hæc conclusio in pluribus casibus. Primo quando Emptor et Venditor specialiter inter se conveniunt, ut periculum remaneat penes Venditorem, donec res Empta tradita sit Emptori; arg. leg. *Qui fundum* 40, § 18, ff. De contrah. Empt. l. *Julianus* 13, § 18, de action. Empt. leg. *Si in venditione* 10, ff. *De periculo et commodo rei venditæ*, et § *Cum autem* 3. Institut. de Emption. et vend. Et in hoc nullum est dubium, quia ut expresse habetur in Regula 83. Juris in 6 « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. »

(13. Limitatur secundo, quando venditor est in mora tradendi; et res interea casu fortuito perit, vel deterior fit, tunc enim periculum est solius venditoris. leg. *illud* 7. leg. *Quod si* 14, de peric. et commod. rei venditæ, ibi: « Si..... venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est..... moram venditori nocere; » leg. *Quod te* 5, ff. De rebus creditis, ibi: « Quod te mihi dare oporteat, si id postea perierit, quam per te factum erit, quo minus hic mihi dares, tuum fore id detrimentum constat, » et concordat leg. *Si quis* 4, § final. leg. *illud* 17, ff. De peric. et commod. rei venditæ; leg. *Si fundus* 33, ff. Locati conducti. Et ratio est quia, ex Regul. 25. Juris in 6. « Mora sua cuiuslibet est nociva. » (14. Si autem non solum venditor in tradendo, sed etiam emptor in rem sibi oblatam recipiendo, fuit in mora, tunc periculum spectat ad illum, qui est in posteriori mora, sive tradendi, sive recipiendi, textu expresso in leg. *illud* 17, ff. de peric. et com. rei venditæ, ibi: « Si interpellavero venditorem, et non dederit id, quod emeram, deinde posteriore offerente illo, ego non acceperim; sane hoc casu nocere mihi deberet: sed si per emptorem mora fuisset; deinde cum omnia in integro essent, venditor moram adhibuerit, cum posset se exsolvere, æquum est posteriorem moram venditori nocere. » (15. Si vero res æque periisset, vel deterior facta fuisset apud emptorem, si ei tradita fuisset, ad nihil tenetur venditor ob talem moram; arg. leg. *Si plures* 14, § *Si autem* ff. Depositum vel contra; ubi statuitur, quod Depositarius ratione moræ ad nihil tenetur, si res deposita

cor. Crisp. decis. 420, num. 2, cor. Ansaldo. decis. 545, num. 5, cor. Herrera decis. 210, num. 4, cor. Ratta decis. 299, num. 7, in Foroliviens. *Fideicommissi super executione rei iudicat quoad dationem*. in solut. 30 Januarii 1756, § 9, cor. Paraciano in Romana Pecuniaria super Læsione et fructuum imputatione 12 Junii 1772, § 10, cor. Ratta et in Eugubina Bonorum super Assignamentis, et Fructibus 4 Maii 1781, cor. Soderino per tot. (*Edit. Barbiell.*)

(2) Id enim usurariam redoleret pravitate, ut multis allegatis docet Rot. in Eugubina Cubiorum 21 Aprilis 1755, § 2, cor. Elephantutio. (*Edit. Barbiell.*)

etiam periisset apud Dominum, casu, qua eidem restituta fuisset, et concordat leg. *Item* 15, § final. ff. De rei vendicat. ibi: « Si servus petitus, vel aliud animal demortuum sit sine dolo malo, et culpa possessoris, pretium, non esse præstandum, plerique aiunt, sed est verius, si forte distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari; nam si ei restituisset; distraxisset, et pretium esset lucratus; » ubi vides, quod ratio propter quam periculum est imputandum venditori, est quia si rem restituisset, seu tradidisset emptori, ipse emptor eam forsitan distraxisset, et sic omne damnum evasisset, unde a sensu contrario si rem non distraxisset, sed æque apud ipsum, ac apud venditorem periisset, ad nihil tenetur venditor ratione moræ, quia per ipsum in tali casu nullum damnum causavit emptori. Sic Glossa in § *Cum autem* 3. Institut. de emption. et vendit. Lugo tom. 2, disp. 26, n. 217. Molina disp. 366, n. 13, et alii communiter.

(16. Limitatur tertio, quando res vendita ante traditionem perit ex dolo, aut culpa lata, vel levi venditoris, leg. *Custodiam* 3. ff. De periculo et commodo rei venditæ, ibi: « Custodiam autem venditor præstare debet, quam præstant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam præstet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet; » et concordat Leg. *Si vendita* 11. ff. de pericul. et commod. rei venditæ, ibi: « Si venditor eam diligentiam adhibuisset in insula custodienda, quam debent homines frugi, et diligentes præstare, si quid accidisset, nihil ad eum pertinebit. » Unde si eam diligentiam in custodienda re vendita, donec tradatur, non adhibuit, ut debuit, ipsi venditori periculum est imputandum; *Communis*. (17. Limitatur quarto, quando res vendita ante traditionem ex delicto venditoris addicatur Fisco. Tunc enim periculum est imputandum venditori, et si jam receperit pretium, tenetur iterum restituere emptori; textu expresso in leg. *si fundus* 33. ff. Locati, ibi: « Si vendideris mihi fundum, isque prius quam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto, ut pretium restituas. » *Communis* (1).

(18. Limitatur quinto quando venditio est facta conditionate; et ante impletam conditionem res totaliter perit; v. g. cum emitur equus sub conditione faciendi experimentum de ejus qualitatibus per decem dies, post quos solum, si placuerit emptori, censeatur emptus, tunc si antequam elabatur dicti decem dies experimenti, equus sine culpa emptoris, vel pereat, vel a grassatoribus auferatur, periculum imputatur venditori. l. *Necessario* 8. ff. De pericul. et commod. rei venditæ, ibi: « Si sub conditione res venierit, si quidem defecerit conditio, nulla est emptio. » l. *Apud* 20. § 1. ff. De præscriptis verbis, ibi: « Simulas tibi dedero, ut experiaris, et si placuissent, emeris, si displicuissent,

(1) Adverte tamen quod si venditor custodiam rei venditæ ideoque diligentiam in asservando exactissimam ipse polliceatur, tunc de levissima etiam

ut in dies singulos aliquid præstares; deinde mulæ a grassatoribus fuerint ablatae intra dies experimenti, quid esset præstandum? Utrum pretium, an merces tantum? Et ait Mela, interesse utrum emptio jam erat contracta, an futura? ut si facta, pretium petatur; si futura, merces petatur. » leg. *Is qui* 13, § 1. ff. Commodati. vel contra, ibi: « Si quem quæstum fecit is, qui experiendum quid acceperit; veluti si jumenta fuerint, ea que locata sint, id ipsum præstabit ei, qui experiendum dedit, neque enim ante eam rem quæstui cuiquam esse oportet, priusquam periculo ejus fit. » (19. Si vero res sub conditione vendita totaliter non pereat, sed tantum deterior evadat, totum periculum, conditione impleta, ad emptorem spectabit, ita ut propter deteriorationem neque pretium minuere possit, textu expresso in leg. *Necessario* 8. ff. de periculo, et commodo rei venditæ, ibi: « Si extet res (vendita sub conditione) licet deterior effecta, potest dici esse damnum emptoris. » Et ratio est, quia adimpleta conditione, contractus retrotrahitur ad tempus conventionis, et redditur venditio absoluta, et perfecta; leg. *Hæc venditio* 7. ff. De contrahenda emption. et vendit. ibi: « Conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio. » Unde cum sic perfecta, et completa venditione evadat emptor dominus equi, ipsi debet imputari ejus deterioratio; *Rebell.* part. 2, de obligat. justit. lib. 9, q. 15, n. 4. Hannold. tract. 10, contrav. 9, n. 48. Palao, de justicia commutat. punct. 24, n. 4. Molina, l. cit., n. 8. Reiffenstuel, l. cit., num. 220, et alii passim.

(20. Quando res in pondere, numero, aut mensura consistens venditur ad mensuram, tunc antequam res ipsa tradatur mensurata, ponderata, aut numerata, omne periculum pertinet ad venditorem, textu expresso in leg. *Quod sæpe* 35, § 5, ff. De contrah. empt. ibi: « Si omne vinum, vel frumentum, vel argentum quantumcumque esset, uno pretio venierit, idem juris est quod in cæteris rebus. Quod si vinum ita venierit, ut singulas amphoras, item oleum, ut in singulas metretas, item frumentum, ut in singulos modios, item argentum, ut in singulas libras certum pretium diceretur, quæritur quando videatur emptio perfici? Quod similiter quæritur, et de his que numero constant, si pro numero corporum pretium fuerit statutum. Sabinus et Cassius tunc perfici emptionem existimant, cum adnumerata, adpensa, admensave sint; quia venditio sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quasve admensus eris, aut in singulas libras, quas adpenderis, aut in singula corpora, quæ adnumeraveris. Sic communis Doctorum. » (21. Sic etiam si vinum, mel, vel quid simile vendatur ad corpus quidem, non ad mensuram, attamen cum pacto, ut degustetur antequam omnino rata, vel perfecta venditio sit; tunc ante de-

culpa tenetur. § *cum autem* 3. Institut. de emption. et vendit. (*Edit. Barbiell.*)